



# LA IGNORANCIA

Sacra Romana Rota

CORAM

*Carolo Lefèbvre*

PONENTE

Romana

Nullitatis  
Matrimonii

---

SENTENTIA DEFINITIVA

---

(OMISSIS)

## II. De naturae matrimonii ignorantia

10) Statuit can. 1082, §1: «Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos».

Exinde eruitur nunc a lege requiri cognitionem «nexus cuiusdam functionalis ad prolis generationem» inter coniuges, uti determinatur in una coram Brennan, diei 2 martii 1964, post notam magistralem sententiam coram Sabattani, diei 22 martii 1963.

Profecto, haec relatio «functionalis» ignorari potest adhuc in suis ulterioribus determinationibus, nam, uti iam olim tenebat iurisprudencia Nostra, sufficit in **confuso** animadverti hoc commercium. Patet revera requiri ad contractum ineundum saltem confusam notionem ipsius obiecti contractus. Intelligitur itaque cur Em. mus P. Gasparri expunxerit in definitiva editione sui Tractatus «De matrimonio» verba quae scripserat in prioribus editionibus a. 1892 (n. 774) et a. 1902 (n. 881): «...**quin noverit** ea quae spectant ad naturam modumque generationis».

Caeterum iam determinaverat Sanchez: «Dicendum est consensum matrimonium constituentem non esse explicite in copulam carnalem, sed in ius et potestatem ad talem copulam, implicite autem et virtute ad copulam» (**De sanctissimo matrimonii sacramento**, lib. II, disp. 28, n. 3). Namque qui errat de traditione-acceptatione iuris in corpus, errat in ipso

negotio matrimoniali, ac proinde consentire non valet legitime, sed cognitio confusa non est ignorantia, nec inducit errorem.

11) Nec obiciatur, ut a cl.mo vinculi Tutore, distinguendum esse inter ignorantiam et errorem, quasi error inducere nequeat in casu nullitatem contractus. Etenim, etsi valde affines sint error et ignorantia, uti iam denotavit Jus romanum (Dig. 22, 6, 1 s.) et confundendi non sint, etiam error de natura matrimonii inducere potest nullitatem, uti ostendimus in una coram Pucci, diei 16 ianuarii 1965 (n. 3).

12) Probatio autem ignorantiae praefatae functionalis relationis non adeo facilis est, cum «haec ignorantia post pubertatem non praesumatur» (can.

1082, § 2). Sed nihilominus probari potest. Ad istam probationem magni momenti est conditio assertae ignorantiae tum tempore consummationis matrimonii, tum postea: ita enim ostenditur quasi inaequivocabiliter contrahentem revera penitus ignorare praefatum commercium functionale, ideoque naturam coniugii, si manifestet horrorem actus, nec ipsa possit illum consuetum habere: quare explicari nequeunt nisi ignorantia.

Nec spernendum est criterium educationis, aut adhuc criterium psycho-physicum, quod quasi fundamentum praebet reale assertae ignorantiae, uti determinatur in praelaudata sententia c. Sabbatani.

**(Omissis)**